

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## DE RE INSTITUTORIA IN DISCRIMINE VERSANTI

In proximo superiore Melissa fasciculo Iohannes Dayez, magister Francogallus, rettulit de seminario Insulis superiore anno sua opera instituto, quo magistri linguam Latinam in scholis docentes moniti essent de methodis quibus hanc linguam vividius et iucundius docere possent. Infeliciter non solum licentia seminarii iterum instituendi ei non est data, sed novae normae edictae sunt ab Administro Educationis Nationalis, quibus efficietur ut his solis discipulis qui viam «litterariam» eligunt linguam Latinam discere liceat. Sed maior discipulorum pars, quae linguam Latinam adhuc discit, viam «scientificam» eligere solet. Itaque necessario multum minuetur et frequentia et qualitas discipulorum, qui linguam Latinam discent. Quae cum ita sint, multi magistri spem deponunt atque putant adesse finem institutionis Latinae in scholis.

Re vera hoc non solum valet de institutione linguae Latinae et Graecae, sed etiam de tota institutione. Cuius pessimum statum dolenter describit Anna Nordmann, quae philosophiam in Francogallia docet, i.e. in schola urbis Luzarches (cfr Paris Match International 25/01/90). Regentes, inquit, nullam curam habent de nos-

tris liberis. Propter eorum incuriam nudantur scholae docentibus. Numerus alumnorum, qui se «pulchrae» arti institutoriae dedere velint, praesertim in doctrina mathematica et physica, ita minuitur ut Ministerium Educationis Nationalis homines ad docendum inaptos adhibeat, quin etiam extraneos, quibus vix est usus linguae Francogallicae. Eadem de causa decretum die 9 m. Decembris

anno 1989 in Diario Officiali editum est, quo licentia artis institutoriae exercendae datur cuilibet functionario categoriae A.

Eo accedit quod discipulorum studia in annos faciliora fiunt, nam politici in mente habent omnem selectionem ita suppressere ut mox quattuor partes discipulorum baccalaureatum obtineant. Veri autem magistri docere cupiunt, non solum adulescentes «custodire».

Vanissimum est programma ab administris publicis impositum. Veris studiis succedit regnum inanis garrulitatis atque opinionis proferendae, quasi valeat opinio firmis fundamentis carens. In programme historiae geographiaeque, verbi gratia, proponuntur themata huius generis: «de civilizatione communicationis» vel aliud tam stultum, ut ipse non



Hac imagine ornatur quaedam editio 'Epistolae Christophori Columbi' anno 1494 in publicum propositae. Cfr p. 6.

intellegam quid significet et hac de causa in Latinum vertere non possim: «un festival de progrès techniques»!

Sic in scholis iam non discitur sed inane disputatur. Magister iam non docet sed disputationes suscitare debet de rebus tritis. Huius miserabilis status exemplum praebent duae quaestiones excerptae ex eis quibus aestimantur discipuli in initio cycli secundarii: «Intra unum annum, Annae statura 9 centimetra altior facta est. Anna nunc 112 centimetra alta est. Quot centimetra alta fuit ante unum annum?» Altera quaestio: «Scribas unum ex numeris, qui inter 73 et 76 intersunt». At sunt exercitationes ad neplagium aptae! Talia sunt terribilia verba, quae protulit Anna Nordmann, magistra Francogalla.

Sed ad res Latinas revertamur. Ubique non desunt homines magnae auctoritatis, ponderis, experientiae, qui regentes moneant de detrimentis a discipulis acceptis propter laxam educationem egestatemque institutionis. Hae voces non sunt dispersae. Nam auspiciis Unionis Latinae, mense Octobri anni 1990, Romae habitus est conventus, cuius thema erat: «de Latina lingua, velut futuro intelligentiae Europaeae». Hunc conventum participaverunt homines diversarum professionum in quattuor consilia divisi, scientificum, oeconomicum, politicum, culturale; disputationum exitus fuit:

- scientificorum: linguam Latinam discere utile esse ad rigorem scientificum acquirendum atque ad res verbo logico exprimendas.
- oeconomicorum: studia classica aliquid capacitatis auctoritatisque conferre moderatoribus negotiorum.
- politicorum: linguam Latinam, quae fuit Europaeorum vinculum historicum, novam esse viam qua Europaei ad coalescendum iuvare possint.
- eorum qui res culturales curant: Romam esse fontem perennem impetus culturalis.

Quae cum ita essent, conventus moderatores rerum publicarum regentes inter alia monuerunt suum votum esse ut institutio Latina non solum in programmatibus scholaribus servaretur sed etiam augeretur in civitatibus ubi locum nimis exiguum haberet.

Nonnulli fortasse dicent haec verba esse verba hominum bonae voluntatis sed parvi ponderis. Hoc confirmari non potest si conventus patronorum indicem inspicimus. Inter quos enim inveniuntur Marius Soares Praeses Rei Publicae Lusitanae, Iulius Andreotti Praeses Consilii Administratorum Publicorum Rei Publicae Italianae, Leonillus Jospin, Administer Educationis Nationalis Rei Publicae Francogallicae. Qui vir etiam epistulam incitatoriam ad conventum misit, ubi cum alia tum haec scripsit: «Patrimonium commune, quod

a Roma accepimus, est materia culturalis necessaria ut Europa construi possit ultra sola vincula commercii oeconomici. Inde patet quanti momenti sit singulorum nationum Administros Educationis curare ut studia classica servantur aptenturque ad iuniorum cupiditatem sui stirpis inveniendi.»

Res stupenda: idem Leonillus Jospin, qui haec verba anno 1990 publicavit, paulo post scholis Francogallicis imposuit has novas normas de quibus supra diximus eas Latinam institutionem in extremum discrimen adducturas esse.

Imminente hoc periculo, Iacoba de Romilly, Hellenista Sorbonnica pernota sodalisque Institutii Franciae, quae iam anno 1984 severissimo libro (*L'enseignement en détresse*) Ministerium Educationis Nationalis increpaverat, cives boni publici conscios omnibus modis concitare coepit ut his novis institutionis normis vehementer repugnarent. Multi clari et honorati homines qui diversas doctrinas profitentur intente fulciunt eius monitum, id quod relatatum est in diario "Le Figaro" die 17 mensis Martii a. 1992 edito.

Inter quos inveniuntur et «litterarii» et «scientifici», qui dicuntur. Etiam Leopoldus Sedar Senghor, primus praeses Rei Publicae Senegalensis, qui institutioni Latinae et Graecae semper favit, sua sponte inter patronos numerari voluit. Horum patronorum nonnullae sententiae afferuntur, quarum tantum audaciorem hic exhibebimus.

Scriptor enim Patricius Besson suadet ut lingua Latina fiat lingua Communitatis Europaeae: «Apud nos si orietur voluntas politica, inquit, idem fieri poterit, quod iam factum est in aliis orbis terrarum plagis. Ego malim libros meos Latine scribere quam Anglice; nulla enim est causa cur hic internationalis inquinatusque sermo in Europa praevaleret.»

Eventa supra relata ad Francogalliam praesertim spectant sed hodiernae institutionis condiciones vix differunt in aliis Europae nationibus. Ubique videmus eos qui gubernaculum rei publicae tenent sapientium monita non nauci facere. Nonnulli etiam ambiguitatem colunt: verbo favent, re delent.

Quae cum ita sint, civis liber et sibi conscius recti interrogat num sinendum sit regimen sibi tantum auctoritatis suscipere ut rem institutoriam tyrannice cum caece regat. Ipsum nomen Ministerii Educationis Nationalis est insolens et perversum, cum significet politicos quandam educationis formam omnibus adulescentibus imponere velle. Quod consilium duas maiores obiectiones suscitatur. Imprimis solorum parentum est liberos educare; parentibus eligenda est materia et methodus institutionis. Si partem auctoritatis delegant, oportet scholam eligere possint quae congruat cum eorum opinionibus.

(sequitur p. 4)

# QUID SIT PRUDENTIA POLITICA

SCRIPSERUNT IOHANNES TAHVANAINEN ET ERICUS PALMEN

*Hanc fabulam, quam scriptor Polonus Slawomir Mrozek anno 1957 edidit in libro, cui titulus est Slon (= Elephantus) lingua Latina libere reddiderunt Latinistae Firri Iohannes Tahvanainen et Ericus Palmén.*

Iam in eo erat, ut spectaculum in amphitheatro inciperet. Christiani in arena stipati adventum leonum rapacium exspectabant, multique Romani in cavea sedentes surgebant, quo melius viderent, quid futurum esset.

Inter leones Christianis lacerandis destinatos unus erat ceteris aetate magis proventus atque ingenio quoque iis superior. Miles Romanus, nomine Gaius, cui leones custodiendi mandati erant, postquam aperuit portas carceris, ubi bestiae asservabantur, ceterosque leones in arenam immisit, senem illum in angulo carceris usque quietum iacentem vidit et in rapa manducanda occupatum. Cum eum quoque in arenam intrare frustra iussisset, veritus, ne ipse magistratibus Romanis poenam daret, quod leonem in carcere otiosum iacere pateretur, baculo plagas ei infligendo persuadere conatus est, ut sibi obsequeretur. Ne tum quidem leo Gaius morem gessit, ac tale inter eos colloquium ortum est:

*Gaius:* Surge, leo! Cur istic moraris? Iam adest tempus te quoque in arenam intrare et Christianos aggredi.

*Leo:* Noli me turbare! Nonne vides mihi nunc potiora esse, quae faciam?

*Gaius:* Potiora?! Num dicere vis rapam, quam manducas, cibum potiolem esse quam Christianos, qui ideo in arena sunt, ut tu carne eorum nutriaris?

*Leo (susurrans):* Minime, minime! Ut verum confitear, haec rapa mihi non placet; nam nullus fere sapor in ea inest. Immo eam fastidio.

*Gaius:* Cur igitur rapam quam Christianos comedere mavis? In eorum carne satis superque inest boni saporis, quem tu in rapa desideras.

*Leo:* Neque tamen operae pretium est eos dentibus tangere.

*Gaius:* Sed quare? Denique mihi responde, quare tam contumaciter te geras! Universi socii tui iam in arenam ingressi sunt - videlicet operae pretium esse arbitrati Christianos dentibus tangere!

*Leo:* Isti socii sunt leones rudes et miserabiles barbari, qui nihil nisi in diem vivere didicerunt atque aliorum iussu quidvis facere consuerunt. Ergo indignissimi sunt, quos ego imiter.

*Gaius:* Care leo, nunc clementer te oro atque obsecro, ut mihi aures praebeas. Si te Christianorum adeo miseret, ut eos lacerare non possis, licet tibi ea re abstinere. Fac tamen in arenam ingrediaris et rugiens ibi circumcurses, fac omnibus maiestatem tuam leoninam ostendas! Mea causa id facito! Neque enim ignoras, quae mea sors futura sit, si magistratus Romani cognoverint me tibi permisisse, ut in carcere rapam manducans otia reris.

*Leo:* At meam sortem qualem futuram esse tu existimas, si aliquando accusatus ero, quod Christianos laceraverim?

*Gaius:* Noli desipere! Quis te istius rei umquam accusare poterit?

*Leo:* O miserrime adulescens, ut qui prudentia politica omnino carere videaris! Nonne intellegis mihi potius de futuro quam de praesenti tempore cogitandum esse?

*Gaius:* Quidnam dicere vis?

*Leo:* Res est simplicissima. Hodie Christiani humilli quidem animo, sed iam admodum numerosi sunt, et crescit in dies numerus eorum. Si acciderit, ut summam potestatem assequantur...

*Gaius:* Christiani... summam potestatem assequantur?!

*Leo:* Ita vero! Constantinus sine dubio efficere poterit, ut id fiat. Quo facto certe haud pauca iudicia capitalia habebuntur, atque omnia maleficia nobis leonibus crimini dabuntur. Si tibi nunc oboedivero, nemo tum iam recordabitur me in arena tantum circumcursando et rugiendo maiestatem

tatem meam leoninam ostendisse. Sin recusavero, quominus tibi paream, tunc affirmare potero me vegetarianum esse - neque quisquam dubitabit, quin semper herbas quam carnem comedere maluerim ac ne te quidem iubente ullum umquam Christianum laceraverim.

*Gaius* (vultu extimescens): Noli talia dicere!

*Leo*: Cur ita non dicam? Qua alia ratione vitam meam tueri possim?

*Gaius* (iam supplicii voce): Te tamen rogo...

*Leo*: Quid me rogas?

*Gaius*: Hoc ipsum rogo, ut, si Christiani potestatem assequantur...

*Leo*: Quid?

*Gaius*: ... ut tu, si opus erit, iures me numquam te coegisse Christianis quidquam mali facere!

*Leo*: Salus rei publicae summa lex tibi esto!

Hac sententia dicta leo rursus rapae manducandae totum se deditit. ■

## DE RE INSTITUTORIA IN DISCRIMINE VERSANTI

(Cfr p. 2)

Deinde loquimur de regimine quasi sit persona; sed ne vultum quidem habet. Fama fert regem Ludovicum XIV dixisse «Ego sum Res Publica». Hodie tamen regimen Lernaeo Angui simile est atque tot habet census quot capita.

Politici nostri temporis potiti sunt institutione atque quamvis non sint eius auctores eam sine verecundia transformant ad utilitatem suam, quae est tantum electoralem. Nonne perversissimum est regimen de programme scholari componendo solum statuere, hoc programma omnibus scholis imponere, omnem aemulationem inter scholas, quin etiam inter discipulos suppressere, hoc eodem tempore quo laudatur efficacia selectionis atque aemulationis in ludis athleticis disportationibusque vel in negotiis?

Dolus politicorum est institutionem talem, qualis tradita est vigeatque, omnibus praebuisse gratuitam. Patet hodie ut antiquitus valere hunc Maronis versum: «Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis» (Verg. En. II 49). Nam post largitiones, sequuntur arbitrariae obligatoriaeque institutionis transformationes: civis, qui aerarium alit, orbatur libertate eligendi!

Unum dicendum restat de «Educatione Nationali». Nationalis enim facta est educatio, iam non universalis. Idea nationis, sensu moderno, iam orta est in Francogallia tempore Veteris Regiminis, sed maximi momenti facta est exeunte XVIII saeculo, cum sola substitui posset monarchiae abolitae, ad novum vinculum unitatis regni Franciae fingendum. Iuniorum educatio paulatim facta est nationalis. Saepimenta nationalistica, quae politici in mentibus aedificaverunt ad suam utilitatem, maximo impedimento nunc sunt arduo operi Europaei cunctandae!

Hoc patet ex deliberationibus de foedere Euro-

paeo Traiecti ad Mosam modo composito, sed deinde a singulis nationibus confirmando. Franciscus Mitterand, Francogalliae praeses, qui die 12 m. Aprilis huius anni, in emissione televisifica, populares suos hortaretur ad hoc foedus confirmandum, a diario dolose interrogatus est: «Significatne foedus Traiectense finem Francogalliae Francogalliae? Quid tunc iunioribus suadendum erit: ut se primum Francogallos profiteantur an Europaeos?» Per ambages cauteque respondit praeses, autumans se ex imo pectore patriae amantissimum esse sed nihilominus censere foedus Europaeum Francogallis maximo emolumento fore. Nequibat revera explicare quomodo iuvenes se Europaeos habere ac profiteri possent, cum nihil adhuc factum esset ad Europaeam identitatem revocandam. Educatio manet nationalistica atque redolet consilia quae Ludovico XIV modo regi facto dabat historicus Gramondus in libro Latine scripto c.t. *Historia Galliae* (Amstelodami, 1653 apud Ludovicum Elzevirium): «Evolva hunc historiae codicem et sperne quaecumque antiquitas protulit: quid Graeca, quid Romana historia opus tibi, si exemplo domestico dignius informaris?» Huius generis consilia sunt hodie repudianda.

Recentiore enim historia gentes Europaeae distrahuntur, concordēs contra fiunt studio historiae cultusque antiquorum. Quin etiam familiaritatem Homericorum heroum consequi nos docet exquisitam animi culturam etiam inveniri posse apud homines quorum vivendi ratio a nostra valde differt. Hoc modo experti, ut libenter monet Leopoldus Sedar Senghor, propiores finis nonnullis gentibus longinquioribus et in via progressus technici tardioribus.

Praeterea hi soli qui Latinitatem colunt sibi fingere possunt identitatem Europaeam. ■

Gaius LICOPPE

# NOVUM RADIOPHONIAE FINNICAE HORARIUM

*Nuntii Latini radiophoniae Fennicae optime florent; moderatores epistulas undique missas accipiunt, quibus certiores fiunt toto orbe terrarum esse auditores Latinos. Si vobis numquam contigit illas emissiones auscultare, ecce nonnullae voces excerptae e nuntio die 2 mensis Aprilis a. 1992 emisso:*

•Nuntii Latini Radiophoniae Fennicae Generalis, quos in studio Helsinkiensi vobis recitat Virpi Seppälä-Pekkanen. (...)

NOVUM IN FRANCOGALLIA REGIMEN. Comitibus regionalibus habitis partes socialistarum cladem acerbissimam tulerunt, quo factum est, ut regimen socialisticum, cui praeerat Edith Cresson, in magnas difficultates induceretur. Itaque domina Cresson cum ministris suis die Iovis mane se munere abdicavit. Novae administrationi praesidet Pierre Beregovoy, qui antea minister aerarii fuit.

DE ARCHIVIS SOVIETORUM SECRETIS. Mense Februario moderatores Moscuenses sol-

lemniter polliciti sunt archiva factionis communisticae Sovieticae apertum iri. Postea apparuit fieri non posse, ut documenta maioris momenti divulgarentur. Ideo Juri Afanasjef, rector universitatis humanisticae Moscuensis idemque delegatus, moderatores Russos fraudis accusavit. Artificio propagatorio illos occidentalibus persuasisse archiva secreta esse aperta. Illa archiva velut experimentum esse democratizationis. Nisi aperta essent, sicut moderatores promisissent, nullam spem democratiae in societate Russorum fore. (...)

BOMBA APUD SEDEM EXACTORUM HELSINKIENSIVM DISPLOSA. Bomba apud sedem exactorum Helsinkiensium displosa plurimas fenestras perfregit et alia detrimenta attulit. De auctore facinoris nullum est indicium, sed verisimiliter in causa est magnitudo vectigalium, cuius rei pertae si tributarii publicanis et exactoribus etiam telephonice minitari solent. Autumno proximo apud easdem aedes publicanorum eiusdem generis bomba displosa erat. (...)

Frequencies	Time UTC:	00	01	02	03	04	05	06	07	08	09	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	
North Europe	963, 558 252	6120 / 49 m																									
West Europe, West Africa		11755 / 25 m		9580 / 31 m						15120 / 19 m		15330 / 19 m		SSB		9730 / 31 m		15440 / 19 m									
East Europe		9665 / 31 m								11755 / 25 m										11820 / 25 m							
Middle East, East Africa		11755 / 25 m		15440 / 19 m								15440 / 19 m		21550 / 13 m													
North America	11755 / 25 m 15185 / 19 m					(Also to South America)				15400 / 19 m		17880 / 16 m															
Australia, Southeast Asia				17800 / 16 m		21550 / 13 m																					
Japan, Far East						15355 / 19 m		17800 / 16 m										15440 / 19 m									

## Nuntii Latini Radiophoniae Fennicae: novum horarium (29/03/92 - 26/09/92)

EUROPA, ASIA MEDIA, AFRICA: Saturni die GMT 06.55  
Dominico die GMT 14.25, GMT 21.50

AMERICA SEPTENTRIONALIS: Saturni die GMT 13.55  
Dominico die GMT 13.55, GMT 01.50

AUSTRALIA, ASIA MERIDIONALIS ET ORIENTALIS: Saturni die GMT 08.20

IAPONIA, EXTREMA ASIA: Saturni die GMT 08.55  
Dominico die GMT 08.55

## 1492

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

*In superiore Melissa fasciculo relationem (partim) legimus quae pertinet ad primum Christophori Columbi iter. His autem paginis agitur de secundo itinere.*

*Quis quid in orbe terrarum de illis inventionibus illo tempore audiverit, scire refert. Quamvis tam difficile fuisset auxilium regis obtinere, primum iter optime successit. Columbus reversus titulos honorificos colligit: fit enim "Admirans", ut in libro nostro legitur (i.e. "admiralis", vide C. Helfer, *Lexicon Auxiliare, Societas Latina, Saraviponti 1991, p. 68*) et "Vicerex Indiarum". Sed praeter eius amicos et nonnullos nautas et aulicos Hispanos Portugallensesque, vix quisquam scit quis sit Christophorus Columbus.*

*Divulgatur tamen relatio primi itineris, Hispanice conscripta; versio Latina Romae anno 1493 editur sub hoc titulo: "De insulis in Mari Indico nuper*

*inventis Epistola Christophori Columbi. Altiae editiones Latinae et vernaculae postea fiunt: Parisiis 1493, Basileae 1494, Illiberrit 1495, Vallisoleti 1497, dum Florentiae anno 1493 idem textus proponitur in versus translatus.*

*De ceteris Columbi itineribus cum pauca referantur, homines momentum novarum terrarum non bene perpendunt. Exempli gratia Erasmus, qui eodem anno 1492 fit canonicus regularis secundum Augustini regulam, tantum scit nonnullas insulas esse recenter inventas. Quae res non valde miranda videtur, cum antea iam inventae sint aliae insulae, Insulae Fortunatae (Canariae) et Insulae Accipitrinae (Fr. Açores).*

*Nemo cogitat continentem nunc praesto esse antequam Americus Vesputius "de mundo novo" libellum scribit magis celebrem. Sed de Americo Vesputio in Melissa 48 agetur.*

NAVIGATIO CHRISTOPHORI COLUMBI, QUA  
MULTAS REGIONES HACTENUS ORBI INCOGNITAS  
INVENTASQUE HISPANIAE  
REX COLI IUSSIT ET FREQUENTARI.<sup>1</sup>

*Quomodo Columbus fuit dictus "Admirans mare".*



ex itaque et regina Hispaniarum nihil magis gerebant in votis, immo supra vota, quam ut almam Christi fidem in dies auferent, auctamque colerent, et cultam summopere venerarentur. Propterea id eximie observabant, ut hae gentes quae hactenus nomen Christianum ignoraverant, tandem aliquando ope et industria sua scirent unam esse Christi fidem, extra quam nulla est salus nec redemptio. Inque huius rei specimen decrevere summis honoribus Columbum prosequi, nihilque praetermittere, quod ad cultum et decus eius spectaret. Igitur vultu sereno eum excipiunt condecorantque innumeris titulis; et quod apud Hispanos eximius ducitur honos, in consessum ipsum recipiunt. Volueruntque ut deinceps non Columbus, sed "Admirans oceanum" appellaretur; et ut licuit colligere ex Admirantis sermonibus, sperabat propediem fidem nostram magna incrementa habituram, si hae insulae ad fidem reducerentur; in commerciis vero et aliis mortalium emolumentis, quibus plerumque omnes inhiant, nullam prope spem collocaverat. Ita-

que serenissimi reges iubent ut protinus liburnicae XVII expediantur, quae arcem in prora habeant, id est speculam, unde eminus speculantur; celoces vero duodecim absque specula, inque eis hominum mille ducenti, qui omni genere armorum communirentur. (...)

*Quomodo Admirans adiit Canibalarum insulas.* Itaque prima Octobris Admirans Columbus solvit a Canariis flante Africo, ad laevam iter faciens, meridiem versus adnavigavit XXI diebus priusquam tellurem conspexerit aliquam. Tandem devenit ad Canibalarum insulas saepe dictas, et primo conspectu videre nostri insulam vastissimam, adeo arboribus condensam, ut vix discerni posset, utrum silva foret vel ne; et quoniam is dies erat dominicus, Dominicam eam nuncupaverunt; et ubi cognovere incultam esse, minime visum est illic gradum sistere, sed ultra progressi sunt.

In his igitur viginti et uno diebus sua sententia fulcarunt maria per leucas fere mille trecentas et viginti. Nam per id tempus Aquilonem ventum prosperum semper habuerant; deinde solventes ab dicta insula, brevi pervenere ad aliam insulam omni genere arborum refertissimam, quae inenarrabilem suavitatis odorem fragrabat; nonnulli allecti amoenitate loci, in terram descendentes, nihil animatum ibi conspexere, praeter lacertas inauditae magnitudinis. Eam Crucem appellarunt, primoque loco de cultis post insulas Canarias cons-



pecta est; et haec erat Canibalorum insula, ut reipsa demum cognovere, id affirmantibus interpretibus Hispanae insulae, quos secum ducebant.

Circumvecti itaque insulam, casas humiles complusculas compererunt; nam vicatim degunt XX vel ad summam XXX domus simul continenterque dispositae in orbem ambientes plateam quandam, cuius diameter erat orbicularis; domus erant lignae amphitheatri instar. Hunc morem construendi aedes servant, erigunt complures eminentissimas arbores in orbem, inque eis trabes figunt, quibus arbores inhaerent, fitque ut his fulcimentis minime ruant. Imbrices vero, cum domum cooperiunt, ita constituunt, ut formam tentorii efficiant, surgitque in modum pyramidis, id est, in acutum. Demum has sic dispositas arbores intexunt palmarum foliis et quarundam aliarum arborum, ut et ventos et imbres tutius arceant. Introrsus vero trabes texunt funibus bombicinis et radice quadam sparto minime absimili. Cubilia habent eminentissima, quae feno et bombice sternunt; porticus habent maximas, ubi sacchara collocant.

Et ibi etiam conspeximus duas statuas ex ligno fabrefactas, quas duos angues immensae vastitatis sustentabant; eas credidimus esse eorum idola; verum compertum habuimus statuas huiusmodi solum ornatus causa erectas fuisse, quoniam hi solem et planetas tantummodo adorant.

Eo igitur ubi nostri applicuere, mox viri et mulieres effuse fugerunt, deserentes suas domos, ubi vincti erant impuberes complusculi, quos ad saginam asservabant; necnon anus complures, quae mancipiorum obibant officia, protinus ad nos contenderunt.

At nostri, ingressi eorum domos, animadvertunt illic vasa esse fictilia omne genus, quae nos Samia appellamus, in quibus elixabant carnes humanas, psittacis, anseribus et anatibus simul admixtis; alias autem verubus impositas torrebant, selectis ossibus et brachiis humanis, quibus pro ferro utebantur, ut sagittis adfigerent suis; ferro enim prorsus carent. Vidimus etiam ibi impuberis caput nuperrime abscisum, sanguine adhuc defluente; hoc erat trabi infixum.

Haec insula quattuor ingentissimis irrigatur fluminibus, Guadalupeam appellavimus, quoniam non est absimilis monti illi sanctae Mariae, quem Guadalupum Hispani vocitant, incolae vero Grachanam; fert haec insula psittacos fasianis multo maiores, nec alis similes, nam alas habent versicolores, cetera rubei; tantaque psittacorum apud eos copia, ut apud nos cicadarum; et licet eorum nemora sint psittacis referta, eos tamen saginant, quos habent in cibatu gratissimos.

Mulieres vero quae confugerant ad nostros, Admirans nostro ritu exornari iussit, et complusculis donari muneribus, mandans ut protinus eas ad Canibalos mitterent, quoniam hae probe noverant quo fugissent Canibali.

Itaque mulieres ad Canibalos profectae sunt. Quo factum est, ut mox Canibali ad nostros accurrerint plecti muneribus, quibus donatae mulieres fuerant, autumantes itidem consequi posse. Ubi vero coram fuere, sive timore, sive scelerum conscientia, mutuo sese respicientes, illico terga dedere, proxima petentes nemora. At nostri qui inerrabant insulae explorabundi, cymbas eorum omnes confregere.

Et illinc solventes adivere socios suos, quos dimiserant in Hispana insula primo itinere; et dum eunt utrimque, complures praeteriere insulas. Ab ea parte vero, quae respicit Aquilonem, apparuit insula, cuius inquilini nostros interpretes, quos ab insula Hispana duxerat Admirans, intelligebant, necnon eos quos vendicaveramus a saevitia Canibalorum; dicebant vocari Matiniam, adfirmantes eam cultam esse a solis feminis, quae statis anni temporibus coibant cum Canibalis, ut solebant olim Amazones. Prolem partiebantur: mares dabant parentibus, feminas vero fovebant ipsae; aiunt etiam has feminas specus habere altissimos, quo se recipiunt ubi extra stata tempora quispiam eo concesserit, et ibi se tutantur sagittis propulsantes hostem, si forte fortuna exploraverint aliqui aditum; propterea nostri per id tempus propius accedere nequiverunt, praeternavigantes insulam ad milliaria fere quinquaginta.

Invenimus aliam insulam, quam interpretes aiebant esse apprime cultam habitatoribusque frequentissimam, et inter alia habere innumeras fruges et prope omnia quibus vita humana carere nequit; et quoniam montes habent praealtos, eam Montem appellavimus Ferratum. At nostri interpretes, et hi quos adservaveramus ab atrocitate Canibalorum, adfirmabant Canibalos aliquando longa metiri itinera supra mille milliaria, ut caribus vescantur humanis.

Postridie illius diei nacti sumus aliam insulam, quae quoniam erat obrotunda, Admirans eam nuncupavit Sanctam Mariam Rotundam. Supra istam comperimus aliam, cui Divi Martini nomen indidit, verum in neutra istarum stationem fecimus. (...)

Post eam comperit fere innumerabiles insulas, verum longe a praedicta, milliaria prope CCCC. Interque eas quaedam ceteris praestabat magnitudine, quae dicebatur ab incolis Ay Ay, nostri vero nuncuparunt Sanctam Crucem; eo appulimus, ut aquam hauriremus. At Admirans emisit triginta viros, qui explorarent diligenter insulam; qui mox quattuor Canibalos cum totidem feminis invenerunt; quae mulieres visis nostris, complicatis manibus elevatisque auxilium petere videbantur; quibus liberatis, viri in nemora dilapsi sunt. ■

(1) *Simonis GRYNÆI Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum, Basileae apud Io. Hervagium, 1555, pp. 67-69.*



# IOSEPHI MARIANI PARTHENII SIVE MAZZOLARI (1712-1786) EPISTULAE

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

I

Parthenius Ioanni Mariano fratri carissimo  
S.P.D.

Non dubito quin pro mutuo amore nostro et fraterna caritate certior a me fieri velis quomodo me nunc habeam, quid agam, ubi degam, quem portum in proximo, quod passi uterque sumus, naufragio apprehenderim. Dicam equidem, carissime frater, et distincte et accurate dicam. Primum est cur maximas Deo ac Deiparae Virgini gratias agam quod tanta calamitas me prorsus non fregerit atque exanimaverit; deinde quod mihi portus non defuerit, quo me e turbulentissima tempestate reciperem atque ubi plane conquiescerem. Multa ab ipso e Collegio Romano egressu hospitia mihi patuerunt; multi domum suam peramanter invitaverunt, grati nimirum videri et pro impensa in eorum liberis instituendis cura gratiam aliquam referre cupientes. Sed e multis tale mihi hospitium obtigit, quale neque iucundius potuit neque opportunius obvenire. Si patrem me nactum esse dicam, dicam id quod est et quod Deiparae Virgini omnino acceptum referri volo. Neque enim in summa rerum omnium perturbatione, consiliorum inopia, acerbitate temporum tanta mihi esse oblata sine divino munere opportunitas poterat. Itaque ibi sum, ubi esse perpetuo velim, ubi omnia arrident, omnia ingenio me accommodata et, quod caput est, omnia sunt ad christianam disciplinam exacta atque composita. Paterfamilias est Clemens Orlandus, inter architectos Romanos excellens, homo lautus ac splendidus, sed quem sua maxime pietas ac religio commendant, benevolentia vero in Societatem nostram eximia ac plane singulari. Familiam totam sic regit ac moderatur, omnes ut eum unum observent ab eiusque nutu pendeant. Inprimis ego senex senem valde revereor, ut mihi quidem videar adhuc sub nostrorum seniorum vivere disciplina. Quae res tantum abest ut molesta, mihi ut etiam sit iucundissima. Hoc ego utor hospite, quo certe nec humaniore nec mei amantiore uti possum.

(...)

Si vero ipsam, quam incolo, aedem spectes, haec est ad habitandum percommoda perque

iucunda. Sita est in clivo Quirinali, via Pontificia, ascensu fere medio, palatio nobilis familiae Molariæ coniuncta atque adeo eiusdem palatii pars dirempta et conducentibus attributa. Aer saluberrimus, quem ipsi Pontifices, qui in summa collis planitie habitant, secuti sunt. Ipsa vero domus cum maxime ad incolendum, ut dixi, commoda, tum etiam eleganter ac magnifice instructa, insignibus ornata tabulis, ut quivis princeps vir excipi cum dignitate possit. Mensa lauta, mihi vero, qui parce vescor ac modice, lautissima. Cultus omnis exquisitus et summa in omnibus mundities, quae totam domum ornat atque distinguit. Cubiculum tale mihi obtigit, quale ne in mentem quidem optare umquam venisset, elegans, nitidum, angustum quidem, sed ad meum ingenium plane dimensum, quod vero mihi magis probatur, secretum prorsus a reliquis, in editiori parte domus locatum ab omnique strepitu remotum. Non praetereuntium clamores inconditi exaudiuntur, non curruum ac rotarum stridor aures ferit; silentium summum, solitudo summa. Amoenissimus subest hortus, aureis malis consitus et omni anni tempore vernans. Cantus avicularum primo mane dormitantem excitat et ad matutinas Deo persolvendas laudes invitat. Fenestra patens et iucundissimus e fenestra prospectus sic, ut vel ad pluteum sedens, vel in ipso lectulo cubans obiectarum arborum aspectu, amoenissima quadam veluti proposita scaena, mirum in modum delecter. Itaque locus omnino idoneus, immo vero factus ad scribendum, ad commentandum, ad sibi remotis arbitris interpellatoribusque vivendum. Proxima est bibliotheca satis instructa, quae quidem in tanta librorum iactura, quantam passi sumus quamque satis deplorare non possumus, nonnihil instrumenti, si quid litteris mandare velis, supeditat. Quod vero inter commoda, quae enumeravi, praecipuum duco, patet aditus ad sacras Basilicas, quas multo crebrius quam antea, oblato hoc nobis invitissimis odiosissimo otio, celebrare soleo, pronus ac facilis. Vix parte clivi superata, aequa planities, viae directae minimique lutulentae; liber excursus ad Exquilinam, ad Lateranensem, ad Sessorianam basilicas.

(...)

Quid multa? Omnia hic, ut ab initio dixi, ad





christianam disciplinam composita, meo autem ingenio accommodata sic, ut neque ad animi tranquillitatem, neque ad retinendam institutam iam pridem vitae meae rationem quidquam mihi desit. Vivo igitur mihi et vel domesticorum, ipsis non abnudentibus nec sequiorem in partem interpretantibus, consortium fugio et colloquia vito. Nemo me fere extra cubiculum videt, praeter mensae accubationem et communem in sacrarium congressum. Cubiculo meo clausus aut scribo aut lego aut dicto. Si accuratorem vitae meae descriptionem nosse vis, haec est. Mane surgo, oro, sacrum facio; peracto sacro et gratis de more actis cubiculum repeto, consueta me potione recreo, deinde vel, ut dixi, scribo vel dicto, utraque usus lingua, sed multo libentius Latina. Ante prandium breviores horae canonicae et nobis indicta conscientiae discussio. A prandio, si caeli tempestas patitur, domo ad sacras basilicas prodego; si secus, domi me contineo, lego vel aliquid manibus ipse meis molior. (...) Nocturnas horas, quas prolixiores molestioresque experior, orando, legendove, ut possum, extraho. (...) Habes epistolam satis longam et fortasse verbosam, sed quae nihil reticeat quod scire te velle arbitrabar; qua de causa confido fore tibi non iniucundam. (...)

II

Parthenius Annibali Oliverio patricio Pisaurensi S.P.D.

Quod Latinam epistolam meam ad te proxime scriptam elegantissimam dicis, perbenevole facis. Mecum equidem praeclare actum existimassem, si eam satis elegantem appellasses. Atque in hoc quidem cum tuam benevolentiam amplector, tum iudicium a tanto viro profectum repudiare omnino non possum. Tu vero recte tuo es usus arbitrio, qui mihi Italico sermone rescripseris; neque enim ego Latine scribens Latinam a te elicere epistolam volui et tantum virum ad Latine scribendum quodammodo provocare. Quam probe Latine scias, iam mihi pridem ex editis operibus tuis perspectum erat, in quibus rerum recondita cognitio certat cum elegantia sermonis. Ego vero, quod quidem Latine institui ad te scribere, idem pergam tenere institutum mihi inde solacium aliquod in odiosa hac munerum, quibus assueveram, vacatione conquiram. Ac primum maxime laetor a te probari consilium meum a Romana statione non discedendi, quamquam non omitto me Pisaurum peramanter invitare et ea addis, quae cum ad me ornandum sunt valde honorifica, tum ad allicendum vehementer idonea. Facerem equidem libenter ut hac in re tibi obsequer, quo et summi viri consuetudine frui possem et sapientia erudiri; sed quae me vincula Romae tenent, una, ut scripsi, morte dissolvi possunt. (...)

\*  
\* \*

MEMORIAE  
IOS. MARIAE. MAZZOLARI  
E. SOC. IESV  
QVI. ET. PARTHENIVS. MARIANVS  
DOMO. PISAVRO  
DOCTRINA ET. SCRIPTIONIS. ELEGANTIA  
CLARISSIMI  
VIX. ANN. LXXIII. M. II. D. III  
ANTIQUAM. SIMPLICITATEM. SEQVVTVS  
QVAM. INNOCENTIA. ET. MIRVS. ERGA. GENETRICEM. DEI  
AMOR. ORNABAT  
DECESSIT. XVIII. KAL. OCTOBR. ANNO. M. DCC.  
LXXXVI.  
AVE. SENEX. PIENTISSIME  
ET. VALE. IN. PACE  
SODALES. VETERES. FAC. CVR.

*Parthenii sodalis caritas Stephanum Antonium Morcellium e S.I. (1737-1821), rei epigraphicae auctorem neolatinum, impulit ut amicitiam multis ante annis natam elegantissimarumque commercio epistularum auctam titulo hoc, quem supra laudavi, perelegantem condecoraret. Nec tamen in Parthenio laudibus efferendo solus extitit Morcellius, quandoquidem et Innocentius Parisella et Aemilius Springhetti, qui hoc florere saeculo, ipsum ita dilaudarunt, ut eum "nitidissimae Latinitatis scriptorem" alter, alter "scriptorem Latini dignum aevo Augusti" appellarent. Talius et ipse iudicium partes nulla dubitatione sequor; quantum enim memini, inter saeculi XVI scriptores repperi perpaucos, inter saeculi vero XVIII Latinitatis auctores neminem, qui pari elegantia consimilique eloquentia quicquid venerit in mentem valuerint exprimere. Parthenius autem, cum esset Ciceronianus dicendi genere, quo utebatur, rebus tamen, quas tractabat, erat suus. Qua de causa nonnullas epistulas ab ipso exaratas seligendas curavi denuoque proponendas; qua in re easdem sum secutus rationes, quas olim Boerius, cum Parthenii commentarios ellogiaque in lucem protraheret: «Iacent profecto Latinae litterae», inquit, «ac prope despectui habentur; quanto autem cum studiorum detrimento, nemo non videt. Atqui huic tam gravi malo nullum opportunius ac praestantius remedium afferi potest, quam si proferantur in lucem et legenda adolescentibus tradantur eorum scripta, qui dicendi copia et elegantia cum soluta tum ligata oratione prae ceteris floruerunt, quique veterum probatissimorum auctorum gloriam et laudem communi existimatione consecuti sunt.» Huiusmodi esse Parthenium autumavit Boerius verissime. De auctoris autem vita paucissima... in proximo Melissa fasciculo. ■*

# MEMORIA ANDREAE HOFER OMNES EUROPAEOS DOCET

SCRIPSIT HENRICUS REINHARDT

(Pars altera)

Memoria Andreae Hofer vere vivit. Quae et statutis honorariis et annuis ludis scaenicis et duobus locis memorabilibus colitur, quorum unus invenitur in arce nobilium comitum de Merano, scilicet in excelso castello Scennae, alter apud illam cauponam «Ad arenam» iuxta Passeram, quam consanguinei quidam Andreae boni usque ad diem hodiernum obtinent.

\*  
\* \*

Qualem doctrinam nobis hoc exemplum praebet? Ego censeo rationem triplicem inde disci.

Ubicumque terrarum et quaecumque saeculorum ad libertatem civilem vindicandam requiruntur tria elementa:

1. flagrans et quasi infinitus amor libertatis, qui fortitudinem gignit nec minuitur incommodis;
2. moderatio animi, qua voluntas in se colligitur ac stabilitur;
3. externa res publica, quae munere cuiusdam quasi potentiae tutelarum fungi potest et interno voto libertatis adipiscendae satis grave subsidium politicum pollicetur.

\*  
\* \*

Haec elementa tria in historia Andreae Hofer facileveniuntur. Nam eius flagrans et illimitatus amor libertatis sine dubio probatus est; nec dubitari potest, quin Andreas multa incommoda subierit, quoniam illos labores militum clam conscribendorum atque palam in bello ducendorum gratis ac libenter praestitit et iacturam omnium bonorum et in fine mortem praematuram pro parvo pretio libertatis omnium civium suorum habuit.

Porro moderatio Hoferiana non iniuria habetur in proverbio. Nam neque sibi nec alii cuiquam unquam concessit, ut fortitudinem temere in

audaciam deflecteret, nec in regimine indulset cogitationi ulciscendi nec in renato bello ullam speciem animi fanatici seu effrenati admisit, immo cuncta consilia operaque sua temperabat sobrio respectu hominis et conferebat cum immensa maiestate ipsius ideae libertatis.

Haec autem illa sunt, quibus virtus moderationis distinguitur a modestia, quippe quae nil aliud sit nisi proprium personale, quod quidem hunc hominem decet, alterum sine damno magno fugit. Moderatio autem, quoniam his duabus columnis constituta est, res omnino omnium hominum communis sive officium humanum est. Ita intentius inspicatur.

Moderatio pendet ab respectu hominis. Quod merito proponitur, cum homines sint, qui libertatem diligunt et usque ad mortem defendendo aspirando observant, homines, quibuscum libertatis propugnatores militando exeunt in campos proellorum, homines, adversus quos certatur, homines, pro quorum libertate tot labores appetuntur.

Talis reverentia humanitatis milites a periculo ferocitatis servat eosdemque nobilitat clementia, non autem fervidum illum amorem libertatis ullo modo impedit nec tepidiorum redigit. Tantum effectus illius amoris, qui nonnumquam daemonem sapit, intra fines humanitatis retinetur. Quod certe benefactum est.

Quod quidem valde adiuvari solet cultu religionis. Scilicet in decursu totius historiae Europaeae nullum elementum cultus civilis exstruxit vallum tam efficax, quo barbaries immodicarum libidinum (cuiusvis generis) excluderetur, quam religio christiana.

Quam ob rem et Hofer, cum esset homo politicus, eximiam vim politicam religionis bene intellexit; nam oculis suis ipsius vidit Bavaros vera luporum rabie contra cultores religionis christianaee et adversus ipsas structuras religiosas Tirolensium invehentes atque irrumpentes, nec ignorabat cur hoc facerent: qui enim populum religione sua spoliavit, eum imis radicibus exspoliavit, vitalibus fundamentis exiit ac ex intimo profecto animi habitu tyrannide dignum facit; et ideo, ut suorum

veram identitatem repararet, tanta perseverantia studuit, ut, restitutis rebus religionis, sensus animorum ad regulas maxime obiectivas instaurarentur et irae odiaque, hominis despicientia, iniuriae tolerantia, mentis duritas omnesque illae acerbitates illaeque radices mali satis moderate clementerque ex hominum cordibus extraherentur. Rabiem immodestiae etiam in populo multa passo tantum clementia cum fide regularum obiectivarum et aeternarum vincit.

\*  
\* \*

Sed et alteram columnam moderationis recolumus. Hofer enim viva conscientia suae parvitatatis et exigui momenti hominum coram maiestate ipsius libertatis praeditus erat. Quem statum animi facile appelles virtutem humilitatis.

Neque tamen tractatum nostrum in monitionem oratiunculam deprimimus, cum hoc memoramus. Viva animi humilitas coram ipsa idea licet libertatis licet veritatis aliarumve naturarum habet aliquid officii, quo strictissime et absolute obligamur: ergo res ipsa cogit, non vero arbitrium alicuius hominis nos movet. Ipsa res, ipsa idea Andream Hofer tam irresistibiliter commovit, ut, cunctis commodis propriis cunctisque respectibus opportunitatis politicae tamquam nugis atque umbris inanibus relictis, solus cum delectatissimis sodalibus perpauca obsisteret inimicis multo potentioribus, solummodo necessitate libertatis fretus et in eadem necessitate victricem spem victoriae postumae ponens. Propter maiestatem ac necessitatem ipsius ideae libertatis suam propriam libertatem vitamque impendit.



Ud vero, nisi fallimur, ad formam primigeniam Europae et ad signaturam generalem spiritus Europaei pertinet. Nam Graeci antiqui, etsi pauci fuissent ac plerumque inter se discordassent, ingentibus exercitibus

Dariorum vel Xerxium fortes credentesque et postremo victores obstiterunt; prisci Romani haud minus intrepidi Tarquinio Superbo, Brenno, Hannibali longe maioribus probe et feliciter restiterunt; aliae gentes Europaeae, statim ubi Hunnorum tyrannus Attila, Suetorum Gustavus Adolfus, Francogallorum Napoleo Bonapartes signa intulerunt, pauca sua arma arripuerunt et viriliter, etsi contra sanam spem, eisdem advenis despoticis obtrectando in fine vicerunt.

Haec ergo forma spiritus communis, quae ab historia iterum et iterum eodem more depingitur, non satis ea ratione intellegitur, qua iudices multas gentes ab hostibus maioribus se circumventas

et ob id ipsum ad extremam audaciam incitatas interdum bene vincere posse; nimis enim excellit haec illa catena numquam interrupta, qua viri audaces propter meram ideam libertatis, propter nudum et incommodum officium veritatis sese prorsus immolabant.

Hoc spectaculum spiritus Europaei non aliunde recte explicatur nisi ex isto argumento, quod Europaei praeclaram specialemque rationem cum ipsa rerum idea habent. Fortasse inepti sunt ad usum semper capiendum, ad commoda propria amplificanda; sed, secus ac in ceteris partibus orbis terrarum usu venit, prompti sunt ut in pugnis absque omni terrena utilitate libenter se conerant, si modo res ipsa, idea ipsa eo clarius in mundo illucescat.

Tantus idealismus, quem hodierni dicunt, ex Andreae Hofer supplicio atque exemplo satis urgens effulget necnon ingenium Europaeum illustrat. Sicut enim temporibus renatarum litterarum artiumque delineandi scientia perspectiva adinventata est, quoquo saeculo historiae Europaeae praestantia libertatis alicubi Europae denuo reperiata atque culta est. Ea enim conspecta nihil aliud eminent, ea semel dilecta nihil aliud expletam humanitatem continet: et tam imperiose omnium obtutus in se colligit, quasi omnium bonorum aut fastigium aut fundamentum esset.

Sed est fundamentum plurimarum actionum humanarum, ita quidem ut suam quisque faciat strictissimam sui disciplinam; pro libertate ipsa veraque excolenda cuncta oportet impendere. Itaque libertas ipsa, quatenus est idea absoluta atque omnino regnans, Hoferum nostrum docuit se ipsum parvi facere.

\*  
\* \*

Sine his duabus columnis moderationis nulla pax civilis statui, nulla pax vera diutius teneri potest.

Denique aliqua verba subiungenda sunt de extera re publica tutelari. Hofer probe sciebat Tirolis, civitatis satis extensae sed parum crebrae, libertatem vindicari nequire, nisi Imperium Austriae Habsburgicae quasdam suppetias saltem morales ferret. Ideo politicorum virorum Vindobonensium consiliis placitisque paene semper assentiri solebat, ideo eis, etiam cum inviti cum Napoleone paciscerentur, adhaerere pergebat, ideoque nobis hanc historiam retractantibus persuasum sit Andream Hofer plane sapienter egisse.

Qui tamen fines certos huiusce obsequentiae clare vidit. Cum enim Tirolenses res in summo discrimine versarentur et condicio vera aulae Caesa-

reae Vindobonensis facta esset misera et formidolosa deditio in voluntatem Napoleonis, ipse, omni obsequio erga civitatem tutelarem posthabito, solis rebus Tirolensibus consuluit, ipse egit, ipse curavit, et postremo ipse Mantuam martyrizandus abiit.

Haec independentia, quam dicunt, nos admonet. Namque recursus ad rem publicam exteram ut potentiam tutelarem numquam significabit studium libertatis tacito converti in servilem subiectionem; cum enim de vera nec de ficta libertate reparanda agatur, de re ipsa libertatis, non de vili nomine, propugnatores libertatis non aliter nisi consulte finiteque ac sub clausula certissima acclamabunt exteram rem publicam, qua domesticae pugnae vindicatoriae pondus detur; dum patriae amantes sunt, non patiuntur patriae consanandae ab eadem re publica externa singulas rationes agendi praescribi.

Vigil et cautus, qualis erat ingenio, Hofer tutelam Austriae adeptus est et tamen aliquatenus ab Austria seiunctus et immunis egit. Sic eius historia probat etiam parvo populo tutelam maioris rei publicae parari posse, cum servitium caninum tamen in perpetuum excluditur.

\*  
\* \*

Quomodo hanc cognitionem historicam ad hodierna pernoscenda recte transferemus?

\*  
\* \*

Praesertim haec notitia rerum Hoferianarum nos docet loco ineptiarum mercatoriarum propria veraque problemata Europaeorum animadvertere et pro viribus solvere.

Inter maximas difficultates hodiernae politicae Europaeae numerandum est, ut puto, hoc factum deplorabile, quod adhuc nimia praeiudicia admittimus.

Longe diversa subaudimus, quoad hanc aut illam nationem de libertate sua certantem contemplamur. Lituani, Lettones, Estonienses, Sloveni, Croatae serio agnoscuntur et omnimodis mentione nostra digni habentur, ne dicam praediliguntur; aliae gentes ut Hiberni septentrionales, Vascones, Albani Cosovienses subito hoc famoso titulo tromocratum afficiuntur et, antequam cognoscantur, cum taedio reprobantur, dum de sua libertate similiter ac alii certare audent; rursus aliarum nationum studium libertatis plenae acquirendae apud nos Europaeos Occidentales saepe minoris fit, non raro quoque irridetur, sicut in doctissima

opinione publice vulgata factum est adversus Ucrainos et Alborussos.

Est quidem in propatulo hanc gradationem iuris ad libertatem expugnandam solo arbitrio vel odio exterorum consistere. Nihilominus in sermone nostro cottidiano inest et magis subest decretis politicorum decernendis.

Quantum huc spectat, memoria Andreae Hofer nobis imperat, ut unam eandemque notionem libertatis quoad omnes gentes adhibeamus, unam eamque semper optimam, immutabilem, aeternam. Quae scilicet ea est, pro qua Hofer ipse sanguinem et vitam dedit.

Et praeterea valde admonemur, ut in re libertatis aliorum non modo iuste, sed etiam humane iudicemus. Vera enim reverentia humanitatis, quae cum clementia geminatur, in disputationibus hodiernis Europaeorum vix umquam deprehenditur; eius loco nimis frequenter litigatur de obolis, de milionibus miliardisve nummorum coacervandorum vel etiam de montibus aeris alieni, quos domini dominaeque nos regentes leviter collegerunt.

Utinam historia Hoferiana eos increpet, ut tandem aliquando de rebus spiritualibus cogitent, de ordine morum in tota fere Europa corrupto vel deperdito, de pornographia e cunctis stationibus televisificis expungenda, de mercatu atque usu venenorum stupefactorum exstirpando et aliis formis servitutis hodiernae consilia capiant, de sana orthographiae disciplina in scholas studiorumque universitates reducenda deque loquendi cultu atque disciplina grammatica in orationibus publicis, de elegantia scribendi in actis diurnis denique redintegrandae ac de sescentis aliis notis pertinentibus ad hominem eruditum, vere studiosum, vere liberum a qualibet barbarie curam suam impendere dignentur!

Hofer utique, pro parte sua, numquam mollietatem ignaviamque sibi permisit: nec in vita vivenda nec in dictis edicendis. Utinam hoc factum nobis altius loquatur!



eterum notitia rerum Hoferianarum potest nos aptiores facere ad veritatem mutationum politicarum in Europa orientali accidentium concipiendam. Ibi enim fervidus amor libertatis, moderatio in agendo, humanitas in consiliis et cuncta cetera dantur; ergo fausta omnia videntur.

Tamen ex uno puncto dubitare licet. Nam adhuc nulla res publica externa prodiit, quae Croatarum, Albanorum Cosoviensium, Ucrainorum, Alborussorum aliorumque libertatem quasi quaedam consors et amica tueatur et eiusdem libertatis adolescentulae custos diuturnitatis permanere

cupiat. Immo Americani, Angli, Europaei Occidentales - scilicet nos omnes per nostros praesides electos - neque absunt neque adsunt, illis nec obsunt nec prosunt.

Propterea non omnino prospera prophetizari possunt. (Exempli gratia: quam facile evenire poterit altera et tertia eversio huiusmodi, qualem recentissime in Russia pavescentes admirati sumus, et quam facile inde exoriri poterit magnum bellum civile, quod et intra nostros fines importabitur! Florescenti libertati Russicae, Ucrainicae, Balticae, Croatica nulla res publica tutelarum succurrit. Et, nimirum, quid dicamus de Hibernorum, de Vasorum libertate, quam hodiernorum Europaeorum nemo vindicandam esse arbitratur, nemo et certissime nulla res publica extera actuose patrocinabitur? Infaustos dies his populis praedicere debemus. Ita et in media Europa fomes incendiorum publicorum asservatur.) Sed quidquid hac in re lateat, nos ab auguriis oportet recedamus.

\*  
\* \*

Praeter omnia, quae Andreae Hofer exemplo vivo discimus, hoc unum docemur, quod naturae immateriales et valent et nos urgent, nos iubent bonum facere et malum vitare, scilicet omnino, sub omni condicione vitae, semper et ubique. A tali commercio cum rebus spiritualibus nos Europaei hodierni prorsus abalienati sumus.

Hofer eiusque sodales nobis acclamare videntur: Nolite libertatis vanam speciem, quae est licentia luxuriae et indifferentia coram miseria aliorum, cum vera libertate confundere! Bene distinguite luxuriam a libertate! Probe scitote libertatem talem esse, pro qua multum impendere, quam laboriose defendere, pro qua militare semper est operae pretium, etiamsi moriamini! Ignaviam fugitote, cum omnis indulgentia inordinata servitus sit in servitiumque ducat, sed libertatem veritatemque amplectentes pro renascentia animae nobilis Europae agitote!

Nec immerito ita vocant. Anima enim Europae a stupido utilitarismo materialistico, qui nunc dominatur, tota abhorret, nihil commune habet cum navitate negotiatorum, qui nihil aliud efficiunt quam Europae verae larvam circumferre.

Vera Europa spiritualis est. Verae Europae anima homines animat, ad magna periculosaque opera pro pura idea suscipiunda animosos facit et magnanimos in libertate expugnanda. Commovet, salubriter inquietat, hominis interioris oculos aperit ad usum veritatum aeternarum, quae non perhibent divitias vel applausum vulgi vel saltem securitatem socialem, sed potius animi pacem

largiuntur.

Et postremo anima Europae verae ea est, quae nos docet plurima pretiosissima in «communi domo Europaea» asservari, pro quibus etiam nunc arma prehendere debemus. Saltem pro vita familiarium nostrorum, gentis nostrae, Europae nostrae non militare monstrum est et nefas. Reapse oportet exercitus nunc temporis non abrogare, decet promptos nec somnolentos esse, ut in tempore pro tot bonis certari possit, ex quorum imitatione hic in terris pendet omnis vita humana.

Aliquid, fortasse etiam sese ipsos pro rebus spiritualibus veluti libertate vel veritate impendere, elargiri, dare - ecce apex doctrinae, quam memoria Andreae Hofer nobis proponit.

Concedo hanc doctrinam nobis parum sapientiam aut prorsus respuendam apparere.

Sed ex altera parte haec condicio Europaea, qua quisque nihil impendens, nihil audens, nihil dans tantummodo manus cavas facit et gratis accipere cupit, contradicit omni legi naturali.

Utinam nos heredes Europae tam nobilis, tam spiritualis sive «idealisticae» tempore opportuno intellegamus, quantus mundus intelligibilis atque moralis a nobis quoque expugnari velit!

\*  
\* \*

Haec sunt, quae perpendi, cum in caupona «Ad arenam» in ipsius Hoferi sede praedilecta apud fornacem veterem sederem ac edibilem glaciem cafea subactam lente degluttirem.

Et paulatim in his quaestionibus austeris firma spes mihi supervenit. Nam, ut patet, nuper in civitatibus Balticis et in ipsa Russia quotcumque obtrectantibus libertas victrix venit, semper victrix ut est idea omnino pollens et omnino vicens; tunc, Andreae priscis diebus, irresistibiliter in Tirolum rediit; et iterum iterumque in sua remigrabit, quoniam nobis maior est.

Itaque in Europa quoque aliquando continget, ut anima Europae libere respiret: tam libere, ut etiam iuventutis paene deperditae animi vivant in amplissimo mundo rerum spiritualium.

Sic me firmavit Hofer.  
Num solum me? ■

# BAUDELAIRIANA

SCRIPSIT THOMAS PEKKANEN


In *Melissa litteraria* 4.1.1988 n. 22 Francisca Deraedt versus Latinos Caroli Baudelaire «Franciscae meae laudes» lectoribus commendat, quos poeta «Latine scripsit, non ad exercitationem faciendam, sed propterea quod putat affectus melius exprimi lingua Latina... quam lingua Francogallica.» Rhythmus huius carminis, ut Francisca recte dicit, sequentiam «Dies irae» imitatur, ubi eodem modo atque in laudibus Baudelairianis strophae trinis versibus trochaicis octosyllabis sunt compositae.

Ad haec addere velim, quod Baudelaire in Franciscae suae laudibus etiam alium rhythmum mediaevalem in animo habuisse videtur, dico sequentiam pentecostes «Veni, sancte spiritus», cuius auctor Stephanus Langton (+1228), archiepiscopus Cantabrigiensis habetur. In ea legimus: «In labore requies, / in aestu temperies, / in fletu solacium» (vv. 10-12) et «Lava quod est sordidum, / riga quod est aridum, sana quod est saucium; / Flecte quod est rigidum, / fove quod est frigidum, / rege quod est devium» (vv. 19-24). Cum his licet conferri Baudelairiana «Quod erat spurcum, cremasti; / quod rudius, exaequasti; / quod debile, confirmasti. / In fame mea taberna, / in nocte mea lucerna, recte me semper gubernas» (vv. 19-24). Etiam titulus «Laudes», ut monet Yves Florenne in annotationibus ad «Flores mali» (*Les fleurs du mal*, Librairie Générale Française, 1972, p. 376), naturam huius carminis liturgicam exprimit.

Dubium non est, quin amor, tam caelestis quam profanus et terrestris, Latinis versibus, et metricis et rhythmicis, pulcherrime exprimitur, quamquam, ut verum dicam, ipse potius ad eorum opinionem inclinor, qui Francogallicum sermonem magis quam ceteros affectibus describendis accommodatum putant. In singulis eius vocabulis inest sonoritas musica insuperabilis atque res notionesque paucioribus syllabis Francogallicis quam Latinis describuntur.

Inter «Flores mali» Baudelairianos celeberrimus est «L'invitation au voyage», quem, litteris Francogallicis discendis operam navans, Latine reddere volui. Sed tam primi versus («Mon enfant, ma soeur, / songe à la douceur / d'aller là-bas vivre ensemble»), si eos verbatim Latine reddas («Mea

puella, mea soror, / cogita de dulcedine / illuc proficiscendi, ut una ibi vivamus»), satis bene ostendunt, quam sit difficile, immo vero impossibile, brevitatem Baudelairianam Latinis verbis aemulari. Credo tamen me aliquid ex eius musica et carminis ipsius indolem Latine reddidisse. Titulum Francogallicum servo, ut lectoribus fons et origo versuum meorum statim appareat.



## L'INVITATION AU VOYAGE

Soror mea, meditare  
de dulcedine, viare  
illuc cum poterimus!  
Tui similis est plaga,  
ubi, soror mea maga,  
comites aderimus:  
sicut soles pluviosi  
firmamenti nubilosi  
animum illaqueant,  
sic me mystice tueris  
fallax oculis sinceris,  
lacrimis qui radiant.

Ibi regnat pulchritudo,  
ordo, pax, beatitudo.

Supellectiles splendentes  
ornant thalamum, fulgentes  
annis fugientibus;  
olet ambra, veris flores  
nitent ibi rariores  
mixtis cum odoribus;  
res ex orientis fundo,  
vitro specula profundo,  
picturarum copia,



illic animum secretis  
verbis, dulcibus, assuetis  
alloquuntur omnia.

Ibi regnat pulchritudo,  
ordo, pax, beatitudo.

Ecce naves errabundae  
indolisque vagabundae  
in canali dormiunt:  
faciant ut gratum tibi.

quod desideras, iam ibi  
habent cum adveniunt.  
Solis obitus vernaes  
ibi campos et canales  
totamque purpureo  
urbem vestiunt colore,  
omnis orbis in calore  
acquiescit aureo.

Ibi regnat pulchritudo,  
ordo, pax, beatitudo. ■

## AD BIBLIOTHECAM LATINAM AUGENDAM...

**D. SACRE, Antrum hoc horrendum caelestis devoret ignis. Een poëtische celbrief in het Latijn, anno 1828, in: 'Handelingen', XLIV (1990), Koninklijke Zuidnederlandse Maatschappij voor Taal- en Letterkunde en Geschiedenis, pp. 63-88.**

'Handelingen' (= 'acta') est periodicum associationis c.n. Societas Regalis Nederlandica Meridionalis Linguae, Litteris Historiaeque Colendis. Quae associatio condita est anno 1870; ab anno autem 1991 Prof. Theodoricus Sacré periodici est curator et redactor.

In museo Antverpiensi, quod Plantin-Moretus vocatur, reconditus est fascis textuum a XVI ad XIX saec. Latine scriptorum, in quo Prof. Sacré poema invenit 78 versuum; deest nomen auctoris, sed dies indicatur: 28 Feb. 1828. Auctor, qui narrat se in carcerem iniuste esse coniectum, videtur fuisse presbyter ultramontanus. Huius operis (imperfecti) Theodoricus Sacré proponit editionem, versione Nederlandica et copiosis adnotationibus additis.

Est narratio vere viva; lectoris animum eo magis tangit quod poeta indignationem suam interdum nimis celeriter exprimere voluit - propter ipsam indignationem? an quia tempus emendandi defuit? Ecce exemplum:

Quis +credet+? Horrendum +protinus+ detrudor in antrum,  
quo tute fugiunt frausque dolusque, scelus,  
atque ubi mortalis quivis, qui fronte pudoris  
sensum aliquem servat, nocte diuque rubet.  
Hic inter fures, raptores et sycophantas,  
qui patriam turbant, vivere cogor ego.  
Hic inter diros, flammis qui tecta +vicini+  
ad cineres redigunt, vivere cogor ego.  
Hic inter lubricos, castos qui virginis artus  
invisae stuprant, vivere cogor ego.

**J. MERGEAI, Le passe-partout du latin juridique. Recueil de termes, locutions, adages avec une traduction, Bruxellis, Créadif, 1992, 103 p.**

O tempora, o mores! Iam diu non est necessarium ut is, qui iurisconsultus fieri cupiat, linguam Latinam addiscat. Textus autem legales locutionibus Latinis solent abundare. Itaque desiderabatur index locutionum, quo adiutus studens textus legales intellegere posset. Auctor, quippe qui non solum sit iuris peritus, sed etiam humanista, praeter locutiones iuridicas etiam elegit proverbialia et sententias, quas hominem cultum scire decet, et ea notavit, quae immutata translata sunt in linguam Francogallicam (sicut *a posteriori* vel *pro domo*); his omnibus adiungitur versio Francogallica et explicatio. Sic docetur quid significant locutiones speciales, sicut: *de quota litis, actio iudicati, intuitu firmae, affirmatio secundi generis, haeres sustinet personam defuncti, leges breves sunt ut facilius teneantur, conceptus iam pro nato habetur, testis unus testis nullus* (id quod non iam est verum, ut legendo didici). Quod pertinet ad cultum civilem, proponuntur inter alia: *homo sum et humani nihil a me alienum, perinde ac cadaver*, et etiam... *in vino veritas!*



# LATINE LOQUI...

## UBI CONDISCATUR



*"De publicis scholae exercitationibus.*

*(...) Latine loquendi consuetudo quam diligentissime retineatur et variis artibus inter pueros foveatur. Latine libenter et facile loquentur, si loquendi formulas elegantes habeant explicatas a praeceptore bonis et propriis verbis. Inviti enim eloquimur, quae nos improprie aut inepte dicturos metuimus. Neque fuerit trutile formulas aliquot proponere pueris, quibus in lusu, quibus in congressu, quibus aliis in rebus ac locis uti debeant. Dabit operam magister ipse, ut quam poterit emendatissime loquatur: loquentes discipulos ultro collaudabit, si quid dictum erit aptius; aut emendabit, cum errabunt. Iuvabit et illud, si propositis praemiolis aut poenis, velut ex lege provocentur, ut ipsi quoque inter sese alius altum emendent, et eruditiores nonnulli deligentur qui controversiam finiant."*

*Christianis litterarum magistris de ratione discendi et docendi, Parisiis 1692, p. 99.*

## SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

In his seminariis participes inducuntur ut *Latine loquantur*. Non solum haec exercitatio est ad linguam Latinam bene noscendam omnino necessaria, sed insuper Latinitas apparet apta ad commercium iungendum inter gentes, quarum sermones patrii dissimiles sunt. Doctor P. Caelestis EICHENSEER, qui permulta seminaria iam moderatus est compluribus in regionibus Europae, iucunde docet sermonis Latini usum cottidianum.

Anno 1992 duo fient seminaria Latina:

**- in Helvetia: Morsaci [Morschach], 26 m. Iulii - 1 mensis Augusti a. 1992.**

Hic locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Pagorum" situs est. Participes nomina dent definitive si tardissime duobus mensibus ante initium.

Interroganda est: Erica Roth

Aeschistrasse, 6

CH-3110 Münsingen (tel. 031/721.08.23)

**- in Belgica: Vavriae [Wavre], 7-14 m. Augusti a. 1992.**

Hoc oppidum ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest. Seminarium habebitur in magnis recentibusque aedibus in margine oppidi sitis, ubi lautis conclavibus bonisque commoditatibus fruenter participes. Sessiones fient in spatioso oeco omnibus paedagogicis instrumentis praedito. Hospitium alimoniumque parvo constant. Non desunt in proximo loca ad mentes relaxandas apta vel res visu dignae. In proximo vico Isca est domus, ubi vixit Iustus Lipsius.

Interrogandus est: Dr Gaius Licoppe

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles (tel. 02/735.04.08)

## FERIAE LATINAE

Alius Latinistarum conventus fieri solet Nicaeae [Nice] in Francogallia. Ibi variae proponuntur acroases atque lustrationes. Anno 1992 Feriae fient **a die 18 in diem 25 m. Augusti.**

Interrogandus est: Clemens Desessard, 9, résidence des Collines, rue Leo Brun - F-06210 Mandelieu

## SEPTIMANA AMOENEBURGENSIS

Latine loqui - Romane coquere - **a die 26 m. Iulii in diem 1 m. Augusti.**

Interrogandus est: Robertus Maier, Dresdener Strasse, 10 - D-6070 Langen

## SEMINARIUM L.V.P.AE

Latinitati Vivae Provehendae Associatio (L.V.P.A.) hoc anno seminarium instituet Pragae **a die 2 in diem 9 m. Augusti.** Interrogandus est: Marius Alexa, Burgstrasse, 3 - D-4712 Werne

## DOMUS LATINA

Lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19 (64 avenue Albert-Elisabeth, 1200 Bruxellis). Programma huius anni: textus leguntur parum noti, et antiquiores et (praesertim) recentiores.